



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

VI. Corporis projecti, seu Anus cacae. Pro patre contra matrem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

de quibus nunc quereris, annos, per expertos tibi notosque humanorum accidentium casus, per infelicis illius manes, cui nec hoc saltem contigit, ut te reverso, te præsentem moreretur: pascere nunc quod te redimere volui, pascere quod fratrem tuum redemi. Non ego lassitudinem tuam posco, nunquam ocium meum: nec ut ipse securus quietusque transigam diem, tuas operibus manus, tuum laboribus assigno sudorem. Jungamus mutuæ pietatis officia, par flebile, par omnibus ætatibus nominibusque reverendum est nobis negocium cum civitate mitissima. Quanto libentius dabunt, cum viderint pariter, unaque miseros mutua sustentatione connexos? Et ego quidem rogabo, qui soleo, sed in tuos sinus populus congerat stipes. Quicquid preces, quicquid impetraverint lacrymæ meæ, accipe, tuere, dispensa: pro tua fama, pro tua sum pietate sollicitus. Ego mendicabo, tu pasces.

DECLAMATIO VI.

CORPORIS PROJECTI, IPSA
EST ANUS CÆCÆ.

ARGUMENTUM.

Qui in calamitate parentes deseruerit, insepultus abjiciatur. Qui habebat uxorem & filium, captus à piratis scripsit domum de redemptione. Uxor flendo oculos amisit, filius retinente matre profectus vicariis manibus redemit patrem. Idem in vinculis decessit. Abiectus in mare, & ap- pulsus ad litus patrium, est eiectus. vult illum sepelire pater, mater prohibet.

PRO PATRE CONTRA MATREM.

ETIAMSI, iudices, in hac asperrima conditione fragilitatis humanæ, in qua nemo prope mortalium impune vivit, hæc omnibus natura est, ut sua cuique calamitas præcipue misera atque intoleranda videatur: inter omnes tamen hoc constet necesse est, infelicitatem meam tantum cæteras supergressam, ut prorsus hæc sit quæ fieri debeat usque ad cæcitatem. Quid enim passus sum tam leve, ut
non

non comparatio mei felices aliorum etiam miseras faciat? Grave est à piratis alligari, magis dicat hoc qui sciat quam cito capti moriantur. Alligatus sum, sed tamen miser magis queror quod solutus sum. Indigna est impietas in suos, quæ quanta versetur in hoc iudicio, videtis. Sed mihi hoc quoque querendum est, quod me & uxor nimium dilexit, & filius. Quid ego putarem in rerum natura posse reperiri quod orbitate acerbius videretur? Non contingit mihi, quod cæteris miserrimum est, filium efferre. Parum est quod juveni singularis exempli causa mortis fui, & tam preciosa redemptus anima, senex odiosus morte filii mei vivo. Parum est quod mihi luctum meum fluctus nunciaverunt, & aliud agenti patri subito ad littus orbitas appulsa est, quod miserrimum juvenem toto jactatum mari, etiam si nemo interpellasset, sero sepelirem: adhuc supremo prohibeor officio, & ne quid solatii contingat, perdo etiam matris misericordiam. Injicit erranti corpori manum mulier, & piratis & tempestate crudelior: atque ut accedat dolori meo cumulus, quæ hoc facit, uxor mea est. Ne quis tamen erret ignotus, non est filii mei Noverca, sed Mater. O facinus, ô cladibus nostris mutata natura! Mater ignem ultimum filio negat, & mulier quæ maritum quoque suum debilitata desiderat. Quis hoc de ista credat? Filium non flet funditus everfa, fulmen hoc gladiumque non sentit. Comparet dolorem, quanto minore causa excæcata est? Hujus iudices, pœnæ ab ipsa morte repetite crimen. Ego sum, ego & alligavi filium meum, & infamavi: & ne non accedat gravissimi doloris comes pœnitentia, in illum mortiferum carcerem merfi. Quo fato parentes miser sortitus est, ut illi vitam pater, sepulturam mater auferret? Nam ut pietatem filii mei semel indicem, patrem redemit. Siquod ego redierim, uxor irascitur, reddat rationem cur acceptis literis meis fleverit. Atqui miserrimus juvenis

quo-

¹ *Quæ maritum quoque suum debilitata desiderat.*] Scribe, *debilitate*, hoc est, eo usque, ut desiderio nimio debilis fiat, veluti quæ flendo oculos amisit. *Græm*

quomodo magis temperare potuit officia? Lex parentibus in calamitate ferre opem jubebat, uterque parens erat calamitate devinctus, unus autem succurrere utrique non poterat, invenit tamen ingeniosa pietas, & utrique subvenit dispendio sui. Ipse venit ad patrem, me remisit ad matrem. Hoc si defendendum est, agnosco partes meas, causam planctibus agam. flere enim certe per legem licet. Alioqui diu laudare non expedit. Diligenter defendere contrarium est actioni nostræ: ut impetremus funus, moramur: dum nos litigamus, dum circa cadaver nostrum orbi rixamur, dum agitur causa defuncti, dum sepulcro lege præscribitur, dum dantur legitima dicentibus tempora, putrescit interim corpus, nec totum in sicco jacet. Cadaver ab incurso avium ferarumque tantum miserantium corona custodit. Convenerunt etiam alieni parentes, totus in spectaculum populus effusus est, & ignoto quoque corpori publica humanitas quasi quasdam fecit exequias. Deslent omnes homines, dolent: plurimorum tamen illa vox est, Juvenis insepultus jacet. Miser nec patrem habet fortasse, nec matrem. Jam hominis figuram vetustas pene consumpsit. Jam lenta tabes in terram defluxit. Jam soluta cute ossa nudantur. Quamlibet duraveris animo, non ferres tamen ista si vi deres. Sed audire certe potes. Ille est filius noster, cujus spes ipsas amavimus, quem apud omnia templa & surdos votis deos superstitem precati sumus, à quo sepeliri optavimus. Ille amabilis infans, ille blandus puer, ille juvenis etiam ante hoc crimen piissimus. Ille dum par fortuna parentum fuit, propensus in amorem tui. Mentior nisi cum peregrinatio mea nos diduceret, maluit esse cum Matre. Me per omnia maria volitantem, ut plus filio relinquerem, circumvenit sævius ipso mari latrocinium. Describam nunc ego pendentem fluctibus carcerem, & catenas macie mea laxatas, & detritam lateribus meis consciam malorum carinam, & obrutam perennibus tenebris feralis loci cruentam cæcitatem? Ista vero, si quid pudoris habeo,

habeo, tacenda sunt. Alioqui quis mihi ignoscet quod vicarium accepi? Etiam scripsisse poenitet. O literæ fletibus tremulæ! O parum alligatæ manus! O delenda uxoris oculis epistola! Cur indicavi, cur scripsi quod uxor ac filius ultimum legerent? Ut incertum sit utrum me carius redimant, an lugeant. Cognita clade, rarissimi uxor exempli, & prorsus talis filii mater totos efflevit oculos, fontemque illum perennium lacrymarum tantum cæcitas clusit. Si non tenuisset, filium vicerat. Continuis inde planctus, incredibilis mœstitia, assidua lamentatio fuit. Juvenem nescio in me magis an in te futurum impium, si non redemisset, quem tu sic desiderabas. Ergo profectioem apparat, ut quoniam reddere matri non poterat oculos, redderet virum oculis chariorem. Sed videlicet est quædam ultima calamitatum rabies, & novissime in furorem vota ipsa vertuntur. Retinuit juvenem, & epistolis meis legem opposuit. O vanæ figurationes, & pectora hominum alto errore confusa. Nemo illam non putabat timere de filio. Itaque juvenis quod ad solatium pertinere credidit, commendavit amicis custodiam matris, substituit vici curæ suæ propinquos. Neque enim aliter usque ad reditum meum cæca vixisset. Quicquid humana ratio valet, contulit. Si potuisset redimere oculos Matris, qua pietate fuit, vicarios suos dedisset. Ipse profectus est solo comitatus animo, nec se putavit ire sine precio, quamvis ad piratas ferret inanes manus. Dicat aliquis, adeo domi nihil reliqueras? adeo longa ætate sic vixeras, ut ne precium quidem tui paraveris? Si hoc ita esset, testor deos, de redemptione literas non misissem. Fuit unde redimi possem, judices, fuit: sed illud totum filius Matri reliquit. Navigat ergo per horridos fluctus, & gementia littora, & spumantes scopulos, & quacunque miser relatus est inauspicatum metiens iter, prorsus ominose retentus, perversis etiam votis, qui optaret alligari à piratis quos vitare quoque miserum est. Quærit hæc omnia impius ille filius propter parentes, quod non præstitisset frater fratri,

non

non uxor viro. Quid differimus ultra? Non pater filio. Dii immortales, coeli, maris, inferorum præsidēs, uni mihi adhuc omnes male experti, vos tamen solos habeo testes, quam invitus redemptus sim. Miserum me, periit qui sciebat. Nam ut primum pervenit juvenis ad piratas, afferens redemptionis meæ se precium, è ferali navicula avidus exiliit, vicarias oblaturus manus: stravit se ad genua singulorum, & ut cupiditas fecerat blandum, obsecravit omnibus precibus, miserabili planctu, & lacrymis pene maternis: nemo unquam sic ut solveretur rogavit. Nec sane difficile fuit impetrare à piratis captivitatem, major illi pugna mecum fuit. Non dignum illud spectaculum latronibus erat, cum pater filiusque de vinculis contenderent, & sibi quisque carcerem vindicaret. Ego jam usu defendebam meum, & in his annis jam maturam mortem asserēbam. At ille contra, Ego te in calamitate deseram? ego alligatum relinquam? Et quomodo ad matrem redibo, quæ misera desiderio tui dies noctesque fletibus jungit? quæ vivere sine te non potest? Non dicebat tamen omnia: & cum assiduos planctus & irrequietas diceret lacrimas, adjiciebat, Jam pene cæca est, fortasse si redieris, videbit. In summa non recedo. Fas est mihi etiam invitis parentibus pie facere. Non recedo, si perseveras, demus piratis lucrum. Aut vicarius ero, aut comes. Quantum inter hæc flevit? quandiu cecidit oculos suos? Si perseverassem, duos excæcaveram. Obstupuerunt pietate tanta etiam latrones, & per immobiles ante vultus fletus cucurrit. Non tenuissent fortasse juvenem, nisi redempturos parentes talem filium credidissent. Ipse in se transtulit ferreos nexus, & hilarior alligatus est filius, quam solutus est Pater. Supremum tamen, & nefas in æternum, me jam catenatis manibus amplexus, postquam mei cura discesserat, Matrem, inquit, tibi per hæc merita commendo. Tu illam tuere, defende, ama, ne relinque: sic paria faciemus. Illic tu eris vicarius meus, si hæc feceris: non irascetur mihi fortasse mater quod ab illa recessi.

cessi. Sic in navem filii mei male permutatus vector imponor, & qua visum oculi dederunt, ad piratas è puppe prospecto: curva littora, & immensum sideribus fretum, & turratos urbium scopulos retrolego. Miserum me, quandiu à piratis etiam navigatur? Mandata tamen tua filii perago, affideo, sustento. Immo me hercle tu affides filii, tu sustines, propter quem mihi etiam hujus propensior cura est. Dum recedere ab uxore nolo, filium non redemi. At illum interim cotidie situs carceris strangulat, insidunt ossibus catenæ, exemplum seculi in myoparone moritur. Mater, jam satis est, habes poenas super legem. sepelissent talem virum etiam ipsi piratæ, nisi eos conscientia scelestorum, metusque poenarum ab omni littore arceret. Quod unum poterant, secundis projecere ventis. Exceptit mitior matre tempestas, & (si qua dici potest calamitatum felicitas) prospero cursu cadaver tantum non ad ipsa majorum sepulcra depositum est. Narretur res seculo nostro diversa, & nescio utra parte mirabilior. Filii corpus matri maria retulerunt, mater mari. Magnam quidem partem agnosco culpæ meæ. Ego uxorem adduxi, & ne miseram dolore fraudarem, ipse meis humeris adversariam meam usque ad littora tuli. Et sane adversus eum prima verba, orbitatis animo æstimantem fefellerunt. Quis autem non dolentis affectum putasset cum diceret defuncto filio mater, Quid enim navigasti? Quid maria ingressus es? Quid piratas petisti? Nam illa quidem vulgatissima orbitatis vox est. Filii, cui me reliquisti? Etiam cum tota super corpus incubuit, amplexam putavi. Etiam cum iniecit tollentibus manum. Et hoc inquam, solent facere matres, ut funus morentur. At ista legem recitat, & in cadaver filii perorat, Tace, tace misera, ita tu istud optasti? Sola scilicet calamitatibus nostris adhuc defuit culpa, ut cum sævitia nimie quoque felicitatis turpis sit, procedat inauditum antea monstrum. misera, crudelis, si quid irati dii reliquerunt, si quid infelicitas oblita est, suis manibus perdere cupiat. Detracta est

est fortunæ invidia, quando suo quoque iudicio mater post amissum filium parum misera est. Lacrymas ipsas novissime perdo, inanis domi libitina plangitur, derilus designator redit, refertur rogo. Inter hæc omnia non gemitus ullus matris, non lacrymæ, non questus. Putes appulsum ad littus aliquem esse piratam. Unde hunc illi animum? Si mala sua ideo non sentit quia non videt, & hoc boni cæcitas habet, eruat aliquis oculos meos. Sed tenebræ corporis affectibus non obstant. Estne hæc uxor mea? estne ille filius noster? Liceat dubitare, si fieri potest, & sane vix jam dignoscendam speciem vetustas reliquit: sed attritæ manus, & tumida vestigia vinculorum, & testis longæ captivitatis macies, infelicia argumenta, consentiunt. Miserum me! certus luctus est. Filium agnosco, uxorem non agnosco. Ergo quoniam de jure longior pugna est, & nobis festinandum: sint primæ precum partes. Adeste universi utriusque sexus parentes, dum matrem in exequias filii rogo. Per matrimonium vetus, & per mutuam charitatem quæ utriusque nostrum magno constat, adjicio, per commune pignus, per annos pariter actos, & beneficio filii plures per meum in te obsequium, jam mei miserere, cujus soles. Crede mihi, hoc quod patior, carcere pejus est, captivitate crudelius. Mea ista pœna est. Quid tibi tantum mali feci? Quid offendi? Certe ego te non reliqui. Jam si totum affectum in hunc consumpsisti virum, & omnis per oculos misericordia effluxit, tulerit sane filius noster merito pœnas, dederit spiritum supplicio, nihil de præteritis loquamur, quod postulavit Cicero etiam ab illo crudelissimo Siciliae tyranno, mors sit extrema malorum. Quod quidem cum permissum non esset, pernoctabant ante ostium carceris precio redimentes sepeliendi potestatem. Quid? tandem hoc Marcus Tullius, patres matresque, promeruit: tu vende saltem, quod sub Verre crudelissimum fuit. Certe ego filium redimam, nec mihi precium diu quærendum est, habeo manus. Nihil moveris nunc, & debilitatem tuam ja-

ctas. Singulare foeminis exemplum ostendi narrarique desideras, sepulturam filii maritus à te impetrare non potuit. Vade hercule, si libet, & corpus in fluctus repelle. Aut si parum celebri loco videtur abjectum, injice manum, & ne minus te satiet alienum ministerium, ipsa potissimum trahere. alteram manum cadaveri impone, altera duc qua frequentissimum rotis iter est, & nigra limo via. Proterat miserum onustum vehiculum, & sanctissimum pectus unguæ rumpant. Ipsa quoniam deficeris oculis, elisum caput, & oppressa ponderibus præcordia manibus tuis pertracta: si quidem audeas, istis etiam lacera dentibus. Litigamus, confistimus, in diversum abimus. Nempe cum viceris, omnia paria habebimus præter animum. Non sepelies? vide quæso, vide ne dum litigas, arenam fluctus aggeret, injiciat humum misericors populus. Obstas? si cujus clementia tumultum fecerit, effode: & cum talis sis mater, aude indignari, & exclama, Magis amavit patrem. Cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non vetat. Ipsi piratæ nihil amplius quam projiciunt. Mater (quanquam hoc nomen profanari nefas est) si perseverat esse filii sui noverca, ut hac crudelitate videatur digna, quæ orbitatem suam non intelligit, si ultra hostium affectum, qui cæcos acie sæpe tumularunt, ultra tyrannos, ultra latrones, parum habet non sepelire, nisi aliorum quoque officia præciderit, & tantum non petita ex fluctibus aqua restinguit ignem, si adeo non genuit filium sed effudit, & illo infelici partu ingratum uteri pondus exposuit: licet imputet nobis ut volet, quod tueri non potest, singulare mariti desiderium, dicam tamen quod sentio, excusatius odisset virum quam filium. Quanquam in hoc mutuæ charitatis affectu paria fecimus: illa oculos propter matrimonium neglexit, ego filium: vicem cæcitatæ orbitate persolvi: tamen, quod inter hæc quoque mala privatim doleam necesse est, omnem illam quam contraxerat, perdit opinionem. Jam inimici mei triumphant, jam passim loquuntur, illa exempli mulier, illa

illa seculi decus, virum redimi noluit, nec filium sepeliri. Equidem, iudices, ut sentio neminem non mortalium favore hominis sepulturæ convenit, quia hæc una res est, cuius exemplum ad omnes pertineat. Ideoque non nisi ab ultimo parricidio exigitur pœna trans hominem. Etiam si qua sunt jura quæ obstant, si tamen angustus saltem detur accessus, per quem intrare humanitas possit, vera clemencia occasione contenta est. Sive omnis in defunctis sensus perit, & ad operiendam fœditatem subtrahendamque dolori materiam: mortui viventium causa sepeliuntur: seu cum ad infernas sedes anima migravit, unus hic luce viduis honos, & à suprema face (ut vates ferunt) petitam ulterioris ripæ stationem contingunt, quæ vera esse & credo miser & opto, cito iturus ad filium. Certe rerum natura, ut in generandis alendisque hominibus quæ necessaria erant, ex se ipsa prospexit, ita cum rursus opus suum resolvit, corpora nostra quam primum reducere ad principia festinat, ut desertis etiam locis circa cadaver tracta imbribus terra concrevit, aggerant pulverem venti, & liquefacta multa die membra paulatim humus bibit, ¹ etiam si nullus operit. At ipsa longo tempore in terram ossa desidunt. Nobis vero adversus exanimes genuit non solum miserationem, quæ cogitationi nostræ subit, sed etiam religionem. Inde ignotis quoque corporibus transeuntium viatorum collatitia sepultura, inde injecta ab alienis humus. Facinus indignum, cum hæc ita sint, sepultus esset filius meus, nisi incidisset in matrem. Et hæc, iudices, non ideo ego dico, ut affectu jura corrumpam, neque vobis præcipio, sed adversariæ exprobro. Legem quidem istam quidni horream, cum id unum miserrimo juveni sit objectum, quod in calamitate non deseruerit patrem? Sed quatenus luctus nostri in jus vocantur, & flenti disputandum est, & orbitati suæ mater irascitur: superemus quam exorare non possumus. Ecquando duorum hominum miseriora vota vidistis, ut de

F 2

his

¹ Nullus operit. At ipsa.] Lege, etiam si nullus operit: aut ipsa longo tempore. Gron.

his pater si vicerit, filium suum efferat: mater si vicerit, abjiciat? Quæ tamen lex est? Qui parentes in calamitate deseruerit, insepultus abjiciatur. Omnis nobis in hac prius causa, iudices, de scripto & intellectu legis contentio est, utrum verborum ambiguitate, an voluntatis fide standum sit. Pars enim adversa id nititur, parentem fuisse in calamitate, eam quæ deserta sit: cujus rei poena, est abjici insepultum. Quid tum fuerit in causa, quid sit postea consecutum, quomodo legem intelligere conveniat, subterfugit dicere, neque à vestigio scripti recedit, sed nuda recitatione contenta est. Nos neque omnibus personis, neque omnibus cæcis scriptam esse legem, & juveni justas ac necessarias recedendi causas: & cui rei semper jus satis plenum est, bonum animum fuisse, postremo non hoc esse deserere contendimus, atque eo causam dimittimus, ut non sit absolvendus adolescens, nisi etiam laudandus. Qui autem dubitat an scripti voluntatem sequi conveniat, is mihi videtur quæstionem tentare incertus qua de re. Ideo pauciora adjiciam, quod nobis quoque (si ita pergitis) afferet quandam cavillationem ista sermonis ambiguitas: ac videri poterit omnem actionem partis adversæ prima statim recitatione subvertere. Nam lex cum dicit, Qui parentes in calamitate deseruerit: rursusque cum dicit, insepultus abjiciatur. non utique id significat, ut non liceat eum sepeliri postquam projectus est. Quare aut mihi quoque permittite sic agere quomodo volo, aut (quod magis vestram religionem decet) indignam sanctissimis auribus verborum captionem ex utraque parte præcidite: & cum filium singularis exempli probavero, fortiter sentite nullam unquam à majoribus nostris poenam scriptam esse pietati. Atque in eo quod primum posueram, non ad hanc rem pertinere legem, non diu versabor, neque dubitatione, quam non habet, afferam moram. Neque enim puto si ætas impediet infantem, valetudo ægrum, respub. legatum, dux militem, nihilominus obstricta crudelitas non accipiet rationem necessitatis:

cessitatis: & cum semel apparuerit patere in ejusmodi causis defensionem, potero plane esse securus; nec timebo ne teneri videatur filius meus, si non potuit omnibus succurrere, dum in ipsa lege occupatus est. Pater alligatus est, mater cæca est, unus utrique filius, magna locorum distantia, habet lex in medio debitorem. Duc ad utrum mavis, ad utrunque non potes, nisi hanc conditionem misero imponimus, ut quicquid fecerit, projiciendus sit. Si exierit, mater sepeliri verabit: si remanserit, pater. Non dubito fore dubium, quin jus in hac lege fuerit & mihi: nisi forte (ut omnia inique injusteque conquiritis) hic quoque unius occasione verbi aliud putatis juvare parentes, aliud non deferere. Id est, de hoc dubitare vultis, utrum parentibus ubique ferri oporteat auxilia, ut ego existimo: an vero non mereatur adjutorium nisi qui præsentem filio miser est. Nam si deferere in calamitate, nihil aliud putamus esse, quam à misero discedere, duo simul scelera permittimus. Primum illud, ut etiam qui aderit, possit impune nihil præstare, siquidem absolutus est hac lege qui secundum miserum stetit. Quo quidem modo non adjutores, calamitosi parentibus filios damus, sed spectatores. Dehinc accidit illud vel gravius, quod cum rerum necessitas quotidie nos dividat, si quædam fortuna parentes nos deprehenderit, quamvis exiguo divisus spatio impune opem non feret, non succurret, ut hac saltem se calumnia defendat. Non reliqui, non abscessi: neque pede, quod ajunt, uno à parente discessi. solutus erit omni auxiliandi necessitate, quando vestra interpretatione, absentia, impietatis occasio est. Hoc voluisse legumlatorem putamus, ut natus ex nobismetipsis in rebus adversis præsidium parenti labore atque præstantia solveret,

F 3 ret,

1 Labore atque præstantia.] Hæc corruptissima & sine mente. Fortasse: ut natus ex nobismet ipsis, in rebus adversis præsidium parentibus laboremq; præstando, solverat lucis usuram utcumque: nisi forte non sumus parentes nisi præsentem. Vel, nisi

coram. Supra: utrum parentibus ubique ferri oporteat auxilia, an vero non mereatur adjutorium, nisi qui præsentem filio miser est. Solveret lucis usuram, est, solveret quod debet pro vita data. Gronovius.

ret, lucis usuram ubicunque, nisi forte non sumus parentes nisi palam. Quid est ergo non deserere? Opem ferre, non deesse. Omnia hæc enim eo spectant, ut auxilio liberorum tuti sint parentes. Quod cum ita sit, tam ad me lex ista pertinuit quam ad matrem. Duo unum vocabamus, videamus, quo ire debuerit. Poteram quidem fortiter dicere, Pater iussi. Hoc nomen omni lege majus est. Tribunos deducimus, candidatos ferimus. Jus nobis vitæ necisque concessum est. Si non fecerit quod jubeo, non deferam illum ad sepulturam. Neceffe habuit parere. Non deseruit, sed abductus est. Crede, non contemptu tui venit in carcerem. Sint sane jura paria, sedeatque medius inter duos iudex: non comparabo personas, quamvis apud omnes gentes plus juris habeat pater: sit sane natura communis, non imputabo quod nomen dedi, quod familiam, quod impensas, quod dum illi acquirere, captus sum. Non indulgentiæ discrimen excutiam, de qua jam lite concessum est. Fuerint quidem ista facienda, sed ego jus meum reprimo. inter duos parentes cæcus affectus est. Exorabit qui prior rogaverit. Tempore certe vinco: ante miser esse cœpi. Tu adhuc integra es, ego jam alligatus sum. Tu sana in domo, ego jam pene defunctus in carcere. Tibi adhuc non opus est filio, ego jam rogo. Nempe calamitas tua nata est post epistolam meam. nisi te flentem consolari filius voluisset, ante cæcitatem tuam exisset. Noli mirari si te gratia vinco: ante exoravi filium, quam tu rogares. Si quisquam figuratiōe quadam in hac malorum conditione iudicem ponat, fortuna quæso absit cujus tanta calamitas fuit. Abtulit quidem tibi oculos nimius affectus, & de quinque rerum sensibus pars una cessabat, & tenebras etiam salvis luminibus alternans continua nox duxerat. Majus est tamen malum quod sic fleretur. Nam ut merito queri possit ablatas videndi voluptates, impeditos rerum actus: tamen
 si non

¹ Si quisquam figuratiōe. Videtur legendum: Se quisque figuratiōe quadam in hac malorum conditione iudicem ponat. Gronovius.

si non iniqui iudices sumus, nec ambitione miseri sunt qui mederi possint, referam non solum qua vincenda mihi, sed magis etiam qua consolanda est. Nam quando omne tormentum corporis abest, dolorque membrorum, qui totam cogitationem in se rapit, feliciter cessat: superest ut cruciet nimium ocium, & assidua quies. res si non sint necessitate jucundæ. Nam visus damnum sarciant reliquæ voluptates, odor, gustus, tactus, auditus: quibus tametsi deesse summam fatendum est, non est tamen maximæ calamitatis loco numeranda parum plena felicitas. Domus certe propria, lectusque genialis, conventus propinquorum, sermo amicorum, ipsa (quod raro contingit) honesta calamitas, & in quacunque fortuna beata libertas tot voluptates obruere possunt unum dolorem. Nam lucis desiderium si malis meis compares, etiam delicatum est. Non enim aliquid rerum natura genitura est spectaculo nostro novum, ac non quicquid speciosissimum pulcherrimumque visari sumus, vidimus. Nempe cotidie nox oritur, & æquam temporum portionem involvit obscuritas, & ex parte sui ipsa quodammodo cæca natura est. Cui alienis oculis uti licet, audire, imperare, cujus ministeriis officia non desunt (non ei defuerunt, nisi se erigit, & fortunæ suæ rationem reddit) miser non est, præsertim in tam bona cæcitatibus conscientia, animi vitio miser est. Non debet dolere quippiam qui potest gloriari, quanquam cujuslibet & quacunque causa hunc incursum passæ, levius est tamen malum foeminæ. Non enim navigatis, non legationem obitis, non frequenti peregrinatione variatis aspectus: non militaris, vos non forensis ratio deducit. Alioqui semper estis intra domum, uno plurimum in loco, levibus officiis affixæ. Tuum quidem affectum si bene novi, nulla magis causa cæcitatem doluisti, quam quod ad redimendum maritum ire non posses. Hæc tua calamitas erat, æstimemus meam. Nulli quidem gravior visa est quam tibi. audi tamen quam multa in illis epistolis non scripserim. O fili, in quibus te malis reliqui?

Jam illa principalis ac maxima dono deum concessa libertas, nec hominum solum, sed ferarum volucrumque sensibus fixa & ingenita, primum spoliū fuit. Me ipse perdidī, teneor venale mancipium, & civis Romanus mercē fio, & libertatem senex dedisco, & natus ingenuus vānīre opto. minimum est, habitamus in fluctibus, hyberni nos feriunt venti. non statio, non sedes, non quies, sed quod malorum meorum maxima portio est, tam miseri sunt etiam domini mei. Sed cito prætereunda est memoria propter me uxori gravis, mihi propter filium. Transeo hirsutos hostium vultus, & immanium barbarorum feros fremitus, tantumque mihi cotidie esse metuendum, quantum pati captus, audere pirata potuisset. Nihil est desiderio suorum gravius: timui ne quem ex meis viderem. Nihil tempestate minacius, cotidie naufragium optavi. nam mortem, confitebor, senili inertia una causa minus cupiebam, ne defunctum nemo sepeliret. Quam vestem relictam captivo putas, nisi quæ præda non erat? quales epulas cibosque præbent, qui ipsi raptō vivunt? Nam illa quidem satis digna quis dixerit, udum carcerem, & inundatam sentina naviculam, & impositum nuda trabe irrequietum latus, revinctas post tergum manus, alligatos tanquam esset qua fugeremus, pedes? Solæ in carcere tenebræ juvabant. Sæpe de auribus questus sum, quæ sonum flagellorum gemitumque cælorum, quamvis impexis obrutæ comis acciperent, dura metus sui exempla. Miserum me, fili, nempe morbo peristi. Compara terram mari, domum navi, lectulum carceri, libertatem servituti, desiderium oculorum totius corporis damno. Quo nos longius ducit calamitatum nostrarum misera contentio? Cæci etiam litigare possunt, captivi nec vivere. Verum hæc etiam si in æquo ponerentur, multum tamen in alteram partem debuissent habere momenti, quod plus mihi poterant prodesse quam tibi. Ei labori incumbere oportet, ubi affectus promittitur. Stul-

Ubi affectus promittitur.] Scribe: Et mittitur. Ubi spes te labore aliquid effecturum. Gronovius.

ta cura est, quæ spem non habet. Ego redimi poteram, tu sanari non poteras. Qualiscunque ista calamitas, inemendabilis cecidit: non remedium accipere, non vicarium potest. Affedisset scilicet lectulo inefficax sedulitas, & acceptis epistolis meis juvenis filius nihil aliud quam cum matre flevisset. Quia profectus est, alterius tamen parentis calamitas emendata est. Si remansisset, & matrem cæcam haberet, & patrem captivum. Adjicio quod tibi non necessaria filii præsentia fuit. Assidere enim, cibos ministrare, manum porrigere quilibet poterat. Mentior nisi factum est, me ab illis captum, tam dura conditione venalem, quod utique in confesso est, nemo alius redemisset, quam filius meus. Et ego sic ago tanquam hæc tantum filius propter me fecerit, quanquam in hoc litigatu quodammodo tibi ipsa excidisti: & quanquam id agas, ut merita tua injuria vincas, & novum induisti rigorem, non prohibeo tamen testimonium. Ad redemptionem meam filium ipsa misisti cum sic plangeres, cum mortem precareris, cum te omni viduatam voluptate clamares, cum sæpius gemeres captivitatem meam, quam cæcitatem tuam. Non erat illi ferreum pectus, nec cor silice concretum, ut hæc pati posset æquo animo. Tu filium prima docuisti sibi non parcere potius quam plus flere, potius quam ipsam rescindere cæcitatem. Profectus est, maritum tibi reddidit. O crimen grave! Si hoc ante fecisset, videres. At retinere non potuisti. Non dicam tibi, habet pietas impetum suum, nec ullum dominum novit affectus: nec ille te potuit retinere ne fleres. Audi quod est verius, aliud putavit. Non erat credibile obstare te redemptioni meæ: interpretatus est maternum metum, & maris domui nostræ male experti periculum credidit, timens ne si tibi non paruisset, nemo non vos putasset colludere. Cæterum me poterat non redimere, cum tu clamares, Cæca sum, oculos desiderio viri perdidisti, solitudinem ferre non possum. Ita ille ad redemptionem meam excusatius profectus esset, si me minus desiderasses?

Dubitatur an tua caussa fecerit? & filium & virum habere non poterat: reddidit tibi quem magis amabas. Siste jam lacrymas, maritum reducem & incolumem accipe. Quid irasceris? Quæ tanta mutatio est? quis hoc crederet? Queris discessisse quem odisti, cum eum rediisse nolis quem diligis. Atqui si (ut supra probavimus) is parentes in calamitate deserit, qui opem non fert, & (ut nunc ostendemus) optimus filius corpore suo adjutoria matri redemit, profecto opem tulit, id est non deseruit. Nam si, ut ante dixi, ne vestigio quidem abiisse à miseris licet, ne ipsorum quidem caussa qui adjuvantur, discedere fas erit, nec cibos saltem petere, aut alia usibus necessaria parare continget. Si vero dum adjuvatur parens, nihil refert ubi sit ille qui adjuvat, quia præsens cura exhibetur: quicquid tibi ego præstiti, ad auctorem muneris, id est, ad redemptorem meum transferendum est. Non affedi, non consolatus sum, non ministravi, non tuli, non denique totus tibi redivi. Verum fatendum est, si desertam te putas, mea culpa est. Sed jam tempus est ista quæ non excusata debent videri, verum pulchra atque magnifica, animo majore defendere, & cum judicium agatur exempli, tandem caussam suam intelligere. Hoc saltem habebis miserrime fili, quod honoratis contingere funeribus solet, defunctus laudaberis. Omnia licet huc revocemus præterita, & ad canendas unius laudes universorum vatum scriptorumque ora consentiant, vincet tamen res ista mille linguas, ipsamque, si sit aliqua corpore uno, facundiam materia superabit, etiam si nihil dixerò nisi quod objectum est. Lucem libertatemque patri filius reddidit, & (quod ante inauditum est) magis me amavit quam vellem. Ingressus est maria, in quibus jam minimum periculi tempestas habet: & quod inter ista difficillimum est, amore mei vicit etiam matrem suam. Tace nefaria lingua, ergo tu ista laudas? Obrulit se captivitati, quia sciebat grave esse alligari, malis patris successit. Subit libens poenam, pietas etiam sceleribus gravem. Tu melius uxor, quæ facturum

Eturum retinebas. Compare nunc, si quis patrem per
 hostes solus tulit, qui cum venientia in patrem tela exce-
 pisset, simplici tamen morte defunctus est. Unum legimus,
 qui vicarias pro patre non quidem piratis aut mari manus
 obtulerit, sed ubi redimi posset. Me miserum! dicendum
 est quod hoc ipso admoneor exemplo, in honorem pietatis
 etiam damnati sepeliuntur. Hæc alii laudant, ego queror.
 Te quidem, juvenis, omnia secula loquentur, & admirabi-
 le exemplum tenaci memoriæ traditum, in ipsa astra sub-
 limem pennata virtus feret. Sed mihi ista laus tua care
 constat. Non erat satius lectulo matris incumbere, & in
 hujus ministeriis deditum secura ocia impendere? Soli ti-
 bi contigerat ut posses patrem excusare, non redimere.
 Me interim, ut cœperat, tabes lenta consumeret. Me, quæ
 debebat sola, senem mors redemisset: & cum exanime
 corpus in fluctus esset abjectum, si contigisset similis tem-
 pestas, quod æquius erat, tu me fili sepelisses. Fefellit te
 ingenitus honestis animis gloriæ amor: spes tibi perpetuæ
 laudis imposuit. Ubi virtus? ubi pietas? Peristi, miser, &
 male audis. Non morienti pater affedi, non ægri caput
 molliori sede composui, non fatigatum latus mutavi, non
 spiritum excepi. Absens, extinctus, everfus, mortem tuam
 inveni. Nemo ægro vincula laxavit, nemo manus ferro
 sordidas ad accipiendos remisit cibos. Tantum catenarum
 causa solutus es, neglectus, despectus. Quidni vilis senis
 vicarius? Inter tot ardentissima febrium desideria, non ha-
 buisti quem posceres. quomodo te vincula composue-
 rant, jacuisti: matrem, patrem, propinquos tantum
 cogitasti. Nunquid indulgeo mihi, quod te puto expi-
 rasse in carcere meo? Nondum matri satisfactum est.
 Quoniam pœnas à cadaveribus exigis, audi sequentia tem-
 pora. Mors ipsa filii tui naufragium fecit, per tot fluctus
 volutatum corpus intumuit, tot illis scopulis, tam spa-
 tiosis tractum arenis, nunquam tamen infelicius, quam
 cum venit in terram. O quam grave est mori, quanto gra-
 vius,

vius, quod ego vivo superstes filii mei. Vivo omnibus diis hominibusque, sed ante omnes mihi & invisus, & infestus: & uxoris quoque pietatem perdo. In funere filii divortium fecit. Video hæc rerum naturæ bona, quæ filio abstuli. Omnis me ætas mei admonet luctus: senectus, ad quam non pervenit: misera pueritia, quam nunc transivit: adolescentia, in qua periit. Supersum, ut si felicissime cesserit, rogam meum videam, & edaces circa corpus filii mei flammæ. Si hoc non contigerit, nigrum cadaver, & deforme etiam ignotis spectaculum. Inter hæc mala credetis puto si dixerò, Vellem oculos non habere. Quid nunc amplius? Ad te uxor preces convertam irritas, male tentatas? Tu vero perge, & bono tuo utere: felicem te, quod in hac fortuna tua irasceris. Ad hos confugiendum est. Per communes casus, per calamitatem meam, humanæ calamitatis exemplar, ita vos conjuges vestræ ament, non sic desiderent, ita hoc orbitatis meæ ultimum exemplum sit, ita vobis habere tam pios filios, non necesse sit, miseremini. Si vicarium accipitis, me projicite. Non invidiosæ preces sunt, nihilominus impero. Non læta sententiam vestram sequetur gratulatio, non ad templa deducar, sed ad sepulcra. Etiam cum vicero flendum est. Si vero vincimur, ibo in littus miser: planctibus aves abigam, aut me corpori filii mei velut tumultum imponam. Jacebimus duo insepulta cadavera. me feris objiciam, aut circa singulorum domus ad genua prætereuntium ibo: & recepto jam miseris more supplex, non cibos petam, non stipem: mendicabo terram, & collatas miserantium manu glebas: aut (quod certe licet) filium in mare projiciam. Jam crudeles aquæ, & venti male secundi, reddo vobis vestrum beneficium. Ferre quo libet, licet ad barbaros, licet ad hostes, licet ad piratas. Fortasse aliquis jubebit sepeliri, certe (quod sciam) nemo prohibebit.

DECLA-

[Nihilominus impero.] Velim, impetro. Non est nimium, quod rogo: nisi enim vos dabit, tamen ego mihi dabo.

Mox enim ait: me corpori filii mei velut tumultum imponam. Gronovius.